



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Mariae Svaresii, Episcopi Vasionensis, Praenestes
Antiqvae Libri Dvo**

Suarès, Joseph Marie

Romae, 1655

De Basilicis, & solario. 17

urn:nbn:de:hbz:466:1-11894

hoc autem Serapio Prænestino Bibliothecam fuisse non inani coniectura ductus suspicor, cum simulacrum atque effigies quædam esset Alexandrini, cui adiunctum erat Museum, & illa celeberrima Bibliotheca, de qua Lipsius ex A. Gellio, Seneca, Tertulliano, & alijs. nam Prænestæ quoque schola fuit Faustianiana, in qua non tantum alerentur pueri, puellæque in honorem Faustinae, sed etiam erudirentur. Nam & mulieres olim liberalibus artibus instruebantur. Suetonius in libro de Grammaticis ait Attici filiam M. Agrippæ uxorem institutam fuisse a Q. Cæcilio Epirota Grammatico Attici liberto, & Iulianus Iurisconsultus mercedem a tutore præceptoribus datas ut pupilla liberalibus artibus imbueretur, iure computari censuit.

Syntagm. de Bibliothecis.

L. qui filium 4.
D. ubi pup. educ. deb.

De Basilicis, & Solario.

CAPVT XVII.



VERE quoque Prænestæ Basilicæ, ut liquet e Varrone. *Meridies* (scribit ille) *ab eo quod medius dies*. D. antiqui non R. in hoc loco dicebant, ut Prænestæ incisum in solario videtur, quod Cornelius in Basilica Aemilia, & Fulvia innumbravit. Solarium denotat hic locum Soli expositum, in quo horæ inspiciebantur, eratque in foro inumbratus, secundum quem homines animi causa convenire solebant, uti Turnebus colligit e Plauti versibus ab A. Gellio laudatis, e Cicerone, atque hoc e Varro-
nis loco. Græci dixerunt *ἡλιακόν*, vel *ἡλιαστήριον*, Gallicque Græcissantes vocant les Hales, ut Harmenopolus usurpat, & Cyrillus in Lexico exponit. Erat Basilica ædificium testudinatum altis columnis suffultum, qualia hodie templa fiunt, quæ inde Basilicæ appellantur. eam Virgilius describit:

L. 5. de L. L.

L. 18. Adu. c. 27.

L. 2. Nat. Deor. & Or. pro Quintio.

7. Æneid.

H 3 Tem-

Templum augustum ingens centum sublime columnis.
 Latini Regiam nuncupant. Romæ in ea causas exer-
 cere, Legatos audire, & negotia publicâ tractare
 solebant. circum etiam tabernas habebat, in quibus
 vel argentea vasa, vel vestes, aliaque venalia erant.

Vitruv. l. 5. c. 10.

De Foro, & Statuis.

CAPVT XVIII.

De Ill. Grammat.



FORVM Prænestæ tribuit Suetonius. nam
 ut ipse narrat, Verrius Flaccus statuam
 habet Prænestæ in parte inferiore fori cõ-
 tra Hemicyclum, in quo Fastos a se ordi-
 natos, & marmoreo parieti incisos publicarat. Hic Li-
 bertinus decessit sub Tyberio ætatis exactæ. refert ista
 Iosephus Scaliger, & præfigit eiusdem Verrij frag-
 mentis, legens, *Pro Vestæ*, & non Prænestæ. certe Ro-
 mæ in parte inferiore Fori templum exstabat Vestæ.
 P. Octavius, & Faernus emendarât antea, prope ædem
 Vestæ. & docuit postea euentus: nam Verrij Fasti ibi
 reperti sunt in Vrbe, sicuti Panuinius enarrat. Forum
 tamen Prænestæ fuisse T. Liuius testatur, in eoque
 statuas collocatas. Quin Prænestæ in Kalendarij frag-
 mento legebatur.

Procem. Fast.
 L. 2. Dec. 3.

NON . N. CONCORDIAE
 IN . ARCE . FERINAE . EX
 S . C . QVOD . EO . DIE
 IMPERATOR . CAESAR
 AVGVSTVS . PONTIFEX
 MAXIMVS . TRIB . POTEST
 XXI . CONSVL . XIII . A . SENATV
 POPVLOQVE . ROMANO . PATER
 PATRIAE . APPELLATVS .

Va-